Cum Deo!

I.

ANimus quidem erat ad Electionem & Consultationem recta me conferre, quia tamen ex superiori Disputatione duo adhuc exponenda restabant, illa sicco pede præterire nefas duxi.

2. Alterum est, quidnam Philosophus per ἕκαστα intelligat, quæ actionem & spontaneam reddunt & faciunt, ut si quis illa ignoret, invitus egisse dicatur, Alterum ad quodnam genus actionum illæ sint referendæ, quando quis ex metu mali, vel ex spe majoris boni agit, quæ alias non egisset.

3. De Priori agit §. 4. c. 1. l. 3. Eth. Philosophus, quando dicit: *Invitum autem debet dici, non si quis ignoret utile. Non autem ignorantia quæ in prælectione cernitur, causa est inviti sed improbitatis. Neq; ea quæ est Universalis: vituperantur enim propter talem. Sed quæ circa singularia, in quibus & circa quæ actio versatur. In his enim misericordia & venia est. Ignorans enim horum aliquid invitus agit. Ac fortasse non est pejus definire ipsa quæ & qualia sint, scilicet tum Quis, tum Quid, tum circa quid, tum in quo agat: Aliquando verò etiam, Quo, ut instrumento, at cujus gratia ut salutis, & Quomodo, ut remissè an vehementer, &c.*

4. *Singula* ergò Philosopho nihil aliud sunt, quàm περιστάσεις (utitur hac voce etiam Damascenus) Rhetorum sive περιστατικὰ μόρια, quæ Circumstantiæ & à Boethio & Quintiliano *l. 5. Inst. c. 10.* ut & à Scholasticis & JCtis, vocantur. Singula autem ideo appellat, quia singularis & individua ratio actionis Moralis in his consistit. Hæc enim actiones morales in esse actionum Moralium constituunt.

5. Non uno & eodem modo à Rhetoribus, Scholasticis, JCtis & Philosophis circumstantiæ hæ enumerantur. *Cicero* namq;

l. 1. de Inventione non longè à medio has enumerat: *Ejus constitutionis est*, ait, *controversia cum aut quem, aut qui cum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo jure, aut quo tempore agere oporteat. Quintil. l. 6. Instit. c. 1: Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo loco, quo tempore, quo modo.*

6. JCti verò ex *l. 16. ff. de Pœnis*, personam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem & eventum ponunt. Postquam enim in *l. aut facto* ostensum fuerat, quibus designandæ essent pœnæ nimirum factis, dictis, scriptis & consiliis in §. 1. hæc subjiciuntur: *Sed hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, & eventu.*

7. *Thomas 1. 2. q. 7. a. 3.* itidem septem recitat, quas sumptas autumat ex Cicerone & Aristotele, nimirum *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando*, quem sequuntur etiam *Durandus lib. 4., Scotus*, & alii. *Richardus l. 4. sent. dist. 17. a. 3. q. 5.* addit octavam, *circa quid*, cui ferè etiam consentit *Buridanus*: *Quid* enim putat esse effectum; *circa quid* verò materiam, circa quam versatur actio. Hinc etiam *Johannes Major* Nominalium diligentissimus *l. 4. dist. 17. q. 4. Tò quoties*, id est, actionum frequentiam omissum putat, *Piccolomin. l. 2. c. 11. & locum & tempus, & coram quo, & quamdiu* septenario Philosophi adjicit, quem fideliter, hîc ut alias *Riccobonus* sequitur. *Bonaventura deniq; l. 4. dist. 16. q. 9.* eò progreditur, ut quatuordecim circumstantias actionibus assignet & l. c. enumeret.

8. *Gregorius Nyssenus l. 5. Philosophiæ c. 2.* sequentes inculcat; *Quis, quid, quo, ubi, quando, qualiter, propterquod. Damascenus autem l. 2. de fid. orthod. c. 24.* has ponit: *Quis, quem, quid, quo, ubi, quando, aut quo tempore, quomodo, quare, aut cujus gratia.*

9. Thomæ certè enumeratio neq; Ciceronis, neq; Aristotelis est, uti ex §. 5. patet, sed *Boethii l. 4. de different. Topicis post medium illius.* Et cum imprimis de mente Philosophi nobis laborandum sit, videbimus cum *Gabriele Vatzquetz 1. 2. Disp. 30. c. 2.* in quo Scholastici ab Aristotele abeant.

10. Prima circumstantia Aristotelis est τὶς *Quis*, quam etiam

jam ponit *Thomas*, sed longè alio sensu. Thomas enim qualitatem, dignitatem. v. g. & statum intelligit, quam explicationem etiam propugnat fervidè *Gregorius de Valentia Tom. 2. Disp. 2. q. 2. p. 2.* Atq; Aristoteles non Qualitatem personæ sed ipsam personam intelligit, quatenus est principium essentiale Moralis actionis. E. aliud est quis in versiculo Thomæ & textu Aristotelis. Minor facile probatur ex verbis ipsius Philosophi, quando enumerationi τῶν ἐκάστων in § 3. citatæ subjungit: *Atq; hæc quidem omnia nemo ignoraverit, qui non insaniat. Manifestum autem est, quod neq; is quidem, qui agit, quomodo enim seipsum (ignoraverit)?* In quo loco & urgeo quod τίς explicetur per ἑαυτὸς. Qualitas autem personæ non est ipse qui agit. 2. ita argumentor: Illud quod ignorare quis potest, hoc loco non intelligitur. Atqui qualitatem personæ quis ignorare potest. E. Qualitas personæ non intelligitur per circumstantiam Quis. Minor probatur, quia aliquis benè qualitatem sui ipsius v. g. dignitatem vel statum non solummodò non considerare, uti Valentia quidem autumat sed planè ignorare potest. Sic potest ex relatione alicujus quis credere se non esse conjugii vinculo obstrictum, sed morte uxoris solutum matrimonio, cum tamen uxor, experientia teste, sæpè in vivis esse non desierit.

11. Quo ipso etiam JCtum à Philosopho abire perspicuum est. Nam §. 3. l. 16. ff. de Pœnis hanc Circumstantiam his exponit verbis: *Persona dupliciter spectatur ejus qui fecit & ejus qui passus est. Aliter enim puniuntur ex iisdem facinoribus servi quam liberi, & aliter qui quid in dominum parentemve ausus est, quam qui in extraneum, in magistratum, vel in privatum. In ejus rei consideratione ætatis quoq; ratio habenda est.*

12. Per *quid* Aristoteles intelligit negotium & ipsam actionem, (uti rectè exponit *Eustratius in Comment.*) quam tamen Scholastici non volunt. Mens Aristotelis clara est ex verbis subjunctis: *Quid autem agat ignoraverit aliquis, ut cum aiunt se dicendo lapsos esse aut nescivisse, arcanum esse quemadmodum Æschylus mysteria.* Hujus exempli vestigium apparet in *Heraclide Pontico lib. 1. de Homero,* teste Scholiaste Græco & Giphanio. Æschylus enim multa

in Tragædiis suis Toxicis, Hiereiis, Sysipho, Iphigenia, & Oedipo de Mysteriis Eleusiniis (quæ nefas erat enunciare) publicarat. Et cum tandem aliquando Tragædiam dicturus rursus putaretur, de iisdem initiis quædam divulgaturus in maximum vitæ discrimen incidit: Populus namq; lapidibus eum petere cæpit. Sed animadverso populi furore, fuga sibi consuluit, & ad Bacchi aram, quæ erat in Theatro, confugit. Unde cum eum populus retrahi vellet, deprecante Senatu Areopagitico & nolente illum indemnatum necari, conservatus est ; atq; adeo tandem absolutus, propterea quod vel se excusasset se nescivisse illa fuisse mysteria ; vel quod & ipse & frater ejus Cynægyrus in prælio Marathonio fortiter pro libertate communi pugnassent ; vel quod probasset, se sacris initiatum non esse, quod legitur in *l. 2. στρωμ. Clementis Alexandr.* vide *Cicer. l.3. de Orator. Ammian. l.26. & Just. l.2.* Ignoravit itaq; non objectum sed ipsam actionem, scilicet, se revelare arcana & mysteria.

13. Tertium attributum est περὶ τί ἢ ἐν τί (hæc enim conjungenda esse & particula dijunctiva monet & quod nullum exemplum peculiare adducat, sed utriusq; unum. Errant, ergò *Buridan. & Acciajadus,* imò ipse *Thomas 1.2.q. 7,* & post hos *Piccolom. l.c. & Riccobonus in Comm. p. 537.*) estq; objectum & materia, circa quæ versatur actio Moralis exemplo Meropes Regis Corynthiorum Polybii uxoris, quæ filium occidit, putans esse sicarium & hostem, de qua vide *Euripid. Tragœdiam Cresphontes & Plutarchum* περὶ σαρκοφαγίας λόγῳ β. *ad finem & Pausaniam in Messeniacis.* Scholastici & JCti hanc omittunt & ad personam referunt, sub qua tamen non posse contineri supra fuit evictum.

14. Quarta circumstantia est *Quo velut instrumento seu adjumento:* ut si quis læserit alium hasta, quam putarit esse obtuso mucrone, aut jactu lapidis quem vulnerarit, cum non putarit esse lapidem, sed pumicem, quæ exempla sunt Philosophi loc. c. καὶ ἐσφαιρῶσθαι τὸ λελογχωμένον δόρυ, ἢ τὸν λίθον κισσηρὶν εἶναι.

15. Quinta circumstantia est *Cujus gratia ut salutis.* Per quam intelligitur id, ad quod actio dirigitur & à quo dependet essentia ipsa & utilitas operationis, quæ ut medium ad finem assequendam

dum assumitur, ut si Medicus præbito medicamento valetudinis recuperandæ causa ægrotum non curaverit sed interfecerit.

16. Scholastici itidem hanc ponunt, sed alio longè sensu, ac Aristoteles & cum eo Peripatetici. Scholastici enim hanc ideo assignant, ut ostendere possint, actum ex fine aliquo modo accipere malitiam aut bonitatem. At Aristoteles nomine finis intelligit operationis utilitatem, quæ ut medium ad aliquem finem assumitur. Et sic potius est circumstantia medii ad talem finem, quam finis, utilitatis scilicet quam ad talem finem facere opinabamur. Sic Medicus minimè ignorat finem [illegible] quem sibi propositum habet, ut & medicamentum, quod æquo porrigit. Quod autem medicamentum præbitũ præter scientiam Medici ægroto mortem acceleravetit, ex ignorantia ἕνεκα τίνος οἷον σωτηρίας factum est.

16. Non ergo frustra vocem οἷος σωτηρίας *n. 38. secundum Acciajolum* adjectum autumo, sed esse determinationem finis ratione utilitatis, ut diximus, per quã à 2 & 3. attributo differt, quæ sæpe finem etiam innuunt, sed non finem ut salutis. Idem ex exemplo adjecto conspicitur cum ait Philosophus, ἐπὶ σωτηρία πίσας ἀποκτείνειεν ἄν. Nam castigandi & emendandi causa aliquem percutere ut percussus exindè interficiatur non est voluntarium ex parte cœdis inde per accidens supervenientis. Percussio enim utilitatis ergo adhibetur. Inde *lib. 2. Eth. Eud. c. 9.* Aristoteles narrat de Peliadibus, *quæ petebant quidem poculum sed & amatorium & vino plenum: id verò venenum erat.* Quo errore etiam Lucretium Poetam sustulit uxor.

17. Ultimum attributum est πῶς οἷον ἠρέμα ἢ σφόδρα, *vel sensim vel vehementer.* Hoc etiam Scholastici assignant, sed longè alia ratione qua Stagirita. Thomæ enim & ejus sequacibus est hic modus operandi ejusmodi circumstantia ex qua augetur vel minuitur animi malitia, cum philosophus eum assignet non ut circumstantiam ipsius actionis cujus est modus, sed effectus, qui inde sequitur. Huic explicationi benè exemplum quadrat, quando Aristoteles pergit: δεῖξαι βουλόμενον ὥσπερ οἱ ἀκροχειριζόμενοι,

πατά-

κατάξειαν ἄν. Quod si itaq; quidam pugilum exercitii causa summis viribus inter se dimicarent, ut aliquis eorum docere alium volens eum vehementius, quam putabat impelleret, atq; ob ipsum percuteret, diceretur modum ignorasse. Videatur *l. 1. §. dives ad l. Corneliam de Sicariis.*

18. Hæc sunt attributa ex Aristot. collecta, quæ cur sex duntaxat fecerit, quæritur. Nos non malè fortè *Giphanii* verbis in locum *p. 166.* respoudebimus. *In actione morali spectatur & res & rei causa. De re quæri solet quid sit ut quod sit factum. In causis ab Efficiente quæ biparta est, & principali quidem manat attributum quis; ab adjuvante, quo organo seu Instrumento: & fine, cujus rei gratia. A materia, qua in res aut in quem.* Hûc etiam pertinet, quod habet *Riccobonus l. c. p. 536.* Omnis circumstantia, requitur *aut causa est, aut locus, aut tempus. Causa est aut efficiens & quidem duplex, una præcipua, ut quis; altera instrumentaria, ut quo; aut materia, ut circa quod: aut finis, ut cujus gratia: aut forma & quidem duplex, altera, quæ est actionis, ut quid; altera, quæ est modus actionis, ut Quando. Locus autem & tempus exprimitur per illas voces, in quo, i. e. in quo loco & in quo tempore, ubi & quando.* Ubi tamen in Riccobono id desideramus, quod etiam supra notavimus, malè ab illo distingui *Tò in quo & circa quid;* In utriusq; autem discursu observandum esse censemus, ut finis non sumatur, uti condistinguitur mediis, sed uti est medium, ejusq; utilitas.

19. In contractiorem ordinem olim ingeniosissimus *Alexander Alensis p. 2.* redegit, & ad 4 membra revocavit. Ad actionem enim Moralem concurrere posse dixit 1. *causam efficientem* sub qua comprehendit & ipsum operans, & quicquid ex parte illius simpliciter necessarium est, ad operationem Moralem v. g. Intellectum & voluntatem. 2. *Finalem.* quam dicit intrinsecam objecto, uti est materia Eleemosynæ ipsa honesta misericordia. 3. *Materialem*, quæ non est propriè subjectum, sed materia circa quam versatur actus. 4. *Formalem* quæ si sit extrinseca materialiter coincidit cum materia circa quam, formaliter verò cum fine seu motivo; Quod si intrinseca cum actus Moralis sit forma quædam, non

habet

habet aliam causam formalem præter suam rationem intrinsecam & quidditativam. Scilicet cum actus virtuosi sint, atq; virtutes necessariò postulent intrinsecum actũ proprium, à quo fit objectũ, circa quod versatur, & quia sunt actus voluntatis, oportet, ut illud objectum sit finis vel circa finem. Hæc tamen licet suo modo possent excusari, tamen distinctiùs singula ab Aristotele exposita autumamus.

20. *Gabriel Vatzquetz l. 1. c. 4.* itidem 4. circumstantias numerat. *Quis, quid, circa quid, quo instrumento seu medio.* Quæ tamen enumeratio verbis tantum à Philosopho differt. Cum enim ex mente Vatzquesii in ipso *quid* contineatur tota substantia actionis (loquor more scholastico) quæ pendet ex circumstantia *circa quid*, & ex circumstantia *quo*; eo ipso nullum attributum excluditur ab Aristotele allatum. Nam *circumstantia cujus gratiâ ut salutis*, etiam ad circumstantiam *quo* posse referri ex supra dictis constat. Utilitas enim medii potius est quum finis; ad quam locus & tempus possunt referri, si cui cum Greg. Nysseno & Damasceno hæc inter attibuta reponere placuerit, habent enim se uti medium, quo ignorato ignoratur homicidium aut percussio.

21. Disputatur ulterius an omnes hæ Aristotelis circumstantiæ sint essentiales, an quædam accidentales. Certè *Thomas l. 6. q. 7. a. 1. Richardus l. 4. dist: 17. n: 3. q. 3. Domin. Soto. l. 4. dist. 8. q. 2. a. 4. &* ex recentioribus *Fr. Suaretz in Com. super Thomam 1. 2. tract. 2. Disp. 5. sect. 2.* accidentaliter quasdam ad actum humanum in ratione boni vel mali Moralis pertinere asserit rationemq; hanc ex Thoma colligit *quia*, inquit, *sicut bonitas vel malitia actionis moralis pendet ex his conditionibus. Ita ex iisdem interdum augetur vel minuitur seu accidentaliter perficitur, servatâ illius substantiâ. E. tunc hujusmodi conditiones erunt accidentales actui. Conseq. probatur, quia magis vel minus quando non variant substantiam, ad accidentia pertinent. Neq; enim quærenda hic est exacta ratio accidentis, nimirum, quod fit per veram in hærentiam & informationem, quia neq; in omnibus Physicis accidentibus hoc propriè reperitur, sed multa tantum accidunt, adjacent, seu circumstant rem. & multo minus id petendum*

 est in

est in actibus Moralibus quorum esse sæpè pendet ex rebus extrinsecè denominantibus. Antecedens verò declarari facilè potest discurrendo per singulas causas. Nam quod persona operans sit hujus vel illius dignitatis, potest pertinere ad quandam majorem bonitatem vel æstimationem Moralem actus non variata substantia ejus. Similiter quod materia circa quam versatur actus] sit hujus vel illius quantitatis in furto, v. g. vel alio simili & sic de cæteris. Ratio autem est, quia ordo ad rationem non semper ex his circumstantiis variatur, ut omnino mutet conformitatem vel difformitatem ad rationem quamvis efficiat. ut secundum magis & minus varietur; tunc ergò sunt accidentalès conditiones.

22. Nos cum Peripateticis ex Aristotele contrarium defendimus existimamusq; *cum Durando l. 4. sent. dist. 16. q. 3. & Navarro cap. consideret de pœnitentia dist. 15. in princ. & Gab. Vatzq. l. c.* circumstantias ad actionum Moralium essentiam spectare. Nulla enim circumstantia accidentalis reddit actionem Involuntariam, si abest, & voluntariam, si addest: Atqui hæ circunstantiæ reddunt actionem involuntariam si absunt, & voluntariam si adsunt. E. hæ circumstantiæ non sunt accidentales actioni Morali. Major constat ex natura accidentis, quod potest abesse vel adesse citra rei destructionem. E. quo posito res ponitur, & quo ablato res aufertur, id est essentiale. Minorem posuit ipse Philosophus *in textu in fine fere cap. 2.* ubi post prædictarum circumstantiarum enumerationem & expositionem hæc subjungit: *Cum in omnibus igitur his, in quibus est actio, ignorantia contingat, fit, ut qui aliquid ex his ignoraverit, invitus egisse videatur, cujus principium est in eo qui agit, singula cognoscente, in quibus actio inest.*

23. Probamus 2. hoc modo: Quodcunq; essentialiter spectat ad prudentiam, illud etiam essentialiter spectat ad actionem Moralem. Actus enim Morales virtutum essentialiter ex prudentia pendent, Virtus enim recta ratione & à viro prudente definitur. Atqui Prudentia versatur circa τὰ ἕκαστα quæ h. l. enumerantur. E. τὰ ἕκαστα quæ sunt circumstantiæ hactenus enumeratæ, ad essentiam virtutum Moralium spectant. Minor *lib. 6. Eth. c. 12.* extat: *Agenda autem res ex eis sunt*, ait Philosophus, *quæ singula & ultima sunt.*

sunt ἔστι δὲ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἐσχάτων ἅπαντα τὰ πρακτὰ γὰρ τὸν φρόνιμον δεῖ γινώσκειν αὐτὰ. Nam & prudentem oportet ea cognoſcere. In c. 8. *Adde quod neq; univerſalium prudentia eſt, ſed opus & ut ſingula etiam cognoſcant. Eſt enim activa.*

24 Idem 3. ex enumeratione omnium circumſtantiarum firmiſſimà demonſtratur, (quo ipſo ſimul patebit reſponſio ad argumentum Fr. Suaretz) ſi enim omnes circumſtantiæ ab Ariſtotele enumeratæ eſſentiam actuum Moralium ingrediuntur, ſequitur quod nulla harum ſit accidentalis. Prius eſt. E. & poſterius.

25. Ubi non eſt, ut quis exſtimet nos fruſtra contra Suaretz diſputare, cum ille potius Scholaſticos ſequatur & ex ipſorum mente non verò Ariſtotelis circumſtantias exponat. Nam ipſe hanc reſponſionem expreſſè rejicit, arbitraturque circumſtantias ſe ex mente Ariſtotelis exponere. Et ne injuriam ipſi faciamus ipſa ejus verba apponemus l. c. *Mihi tamen ille ſenſus* (Ariſtotelem ſc. locutum de ſubſtantialibus & omiſiſſe accidentales circumſtantias) *difficilis videtur: 1. quidem, quia video omnes expoſitores ac Theologos aliter illum intellexiſſe 2. quia diminutus fuiſſet in doctrina Morali tradenda. 3. quia nihil eſt, quod cogat ad limitandam illo modo doctrinam ejus.*

26. Minorem ergo per ſingula membra videbimus. Et quidem quod *quis* eſſentiale attributum ſit, ſupra fuit evictum, ut nihil aliud h. l. reſtet, quam ut ſatis faciamus *Fr. Suaretz*, qui male hanc circumſtantiam ad dignitatem perſonæ, quæ majorem tantum bonitatem vel æſtimationem moralem actus non variata ſubſtantia ejus producit, refert. Non enim qualitas perſonæ, ſed ipſa perſona, quatenus eſt principium eſſentiale actionis intelligitur. Nemo enim hanc ignorare poteſt.

27. In noſtra expoſitione non acquieſcit *Suaretz. n. 14.* ſed illam diluere conatur his verbis: *Neq; obſtat*, ait, *neminem poſſe ignorare hanc. Nam imprimis non loquitur de inadvertentia ſed de ignorantia. quæ in rigore dicit carentiam ſcientiæ habitualis. Et h. m. certè dici poteſt neminem poſſe ignorare ſtatum ſuum & conditionem. Deinde illud non poſſe non debet intelligi Metaphyſicè, ſed ut plurimum*

Moraliter; patet tum quia ib. dicit Arist: Universalia natura legũ præcepta non posse ignorari, quod prædicto modo & Moraliter oportet intelligi, tum etiam quia in rigore potest quis ignorare conditionem personæ operantis, necessariam ad actum Moralem, nimirum potest ignorare quis, se liberè operari. Deindè quod ait Aristoteles ignorantiam circumstantiæ cujusq; causare involuntarium suprà à nobis explicatum est, de involuntario sub tali ratione ignorata non absolutè sub quacunq; alia: & h. m. convenit etiam circumstantiis accidentalibus, & necesse est ita poni, etiamsi sit sensus in essentialibus ut patet in exemplo ejusdem Aristotelis. Nam si quis (inquit) loquatur, de aliqua re quam ignorat, sibi ut secreto esse commissam; actio est Involuntaria quod quidem est verum, quatenus illa est revelatio secreti; nam quatenus est locutio quædã voluntaria manet & potest esse aliud peccatum v. g. verbum otiosum. Deniq; ut fateamur aliqua exempla esse de conditionibus essentialibus actuum Moralium; tamen alia possunt accommodari ad accidentales; ut quod leviter vel acerbè percusserit, quod talis effectus consecutus sit ex actione. Quare existimo Aristotelem fuisse locutum; de quibuscunq; conditionibus aut circumstantiis, quæ in actione singulari, pro ut sic reperiuntur; sivè illæ sint essentiales sivè accidentales; nam omnes possunt ad Voluntarium vel Involuntarium aliquo modo conducere, sub qua ratione ibidem Aristoteles de circumstantiis disseruit. Hactenus Suaretz quem ideo cum in paucorum manibus sint, citare debuimus.

27. Diffusè hactenus Suaretz differentem audivimus, est quod & nobis vacivas aures præbeat, & quæ veterum Rhetorum erat formula, lingua faveat. Non enim 1. loquimur de incogitantia seu inconsiderantia, uti loquitur Suaretz, sed illud urgemus, quod aliquis penitus possit eorum oblivisci, quæ promiserat. Hoc certe experientia quotidiana ita comprobat, ut dubitare velle meo judicio sit seipsum non satis hactenus animadvertisse. Cuicunq; enim nostrum non sæpè accidit ut voto se obstringat, cujus tamen postea oblivione capitur, aliudq; agit à voto planè alienum? Sic multi ignorant quod sint vinculo conjugali ligati, qui tamen se solutos existimant.

28. Nulla in his ibi est inconsiderantia, sed negatur scientia ha-

ctia habitualis. Nulla etiam 2. Metaphysica possibilitas tantum sed insuper Moralis, cum quotidiè factis hominum comprobetur. Imò etiamsi Politicus Metaphysicè hoc loco rem definiret, vitio ipsi verti nequaquam posset, neq; ideo culpam incurrere, cum enim in his salus prudentiæ consistat, quo penitius hæc examinabuntur, eò circumspectius Politicum egisse existimandum est. In his enim minimissima (liceat Lipsiano hoc uti) non contemnere præclarum est. Prudentis enim est, non ea tantum quæ ante pedes sunt, prospicere, sed & quæ futura, sunt (Metaphysicè possibilia dicuntur Soario) considerare.

30. Neq; juvat Suaretz, quod universalia Juris naturæ præcepta Moraliter non possint ignorari, benè autem Metaphysicè. Nam fateor me hanc subtilitatem capere non posse, illamq; planè impertinentem judico. Quomodo enim Metaphysicè Jus naturæ potest tolli, ut non tollatur Moraliter. Certe *Tò* posse Metaphysicorum altioris naturæ est, omnia enim eo ipso ex numero Entium excluduntur, quo non posse ipsis tribuitur. Ens enim esse quod potest esse omnes norunt. E. si Juris naturæ scientia non potest esse, Jus naturæ etiam non Ens erit, quod absurdissimum Suaretz esse rectius nobis novit. Et quomodo quæso vel Moraliter, vel Metaphysicè Jus naturæ ignorari poterit, cum illud in cognitione formali consistere infra *ex ipso Suaresio in tract de LL.* ostendemus. Atqui eo ipso quo cognoscimus & judicamus de principiis primis Practicis, jus naturæ ponimus. Judicare autem & cognoscere, ita ut id de quo judices, & quid cognoscas ignores, est judicare & non judicare. Atq; hæc contradictio est, quam neq; Moralis disciplina neq; Metaphysica concedit. Quo ipso etiam 4. illa verba diluuntur, quibus asserit aliquem Moraliter agentem posse nescire, quod liberè agat. Nam apertissima hæc Contradictio est. Moralis enim & virtuosa actio per *προαίρεσιν* constitui formaliter notissimum est, & à Suaretz nunquam negatur. Atqui cum præelectione agere, nescire tamen se non liberè agere, non est cum præelectione agere, & sic sibi contradicere.

31. Nobis etiam sermo est de ignorantia sub tali ratione,

 quam

quam Aristoteles intendit. Absoluta enim Suaresi ignorantia hujus loci non est. Hoc ut intelligatur, notandum est, posse quasdam circumstantias pertinere ad ipsam Moralis actionis essentiam secundum unam rationem, quæ tameu possunt eidem actioni accidere; secundum aliam rationem v. g. quando quis furatur rem sacram: In re sacra illud includitur, quod sit res aliena, quæ quatenus absolutè consideratur, pertinet ad illam actionem, quæ est furtum; quatenus tamen sacra ad essentiam sacrilegii refertur, quæ furto accidit. Eodem modo se res habet in exemplo à Suaretz allato. Ponam enim quod Æschylus peccarit multiloquio, tamen hoc accidens erat secretorum revelationi, cujus ignorantiam invincibilem habebat Poëta; hujus autem tantummodo Universalium & Juris. Imo ex ipso Aristotele hæc responsio desumitur, quam exemplum Aristotelis in attributo *circa quam* suppeditat. Affert enim exemplum Meropes quæ occidit hominem, ignorans esse filium suum & putans esse hostem. In hoc certè casu actio illa quatenus homicidium non redditur Invita, quia scitur ipsum *circa quid* homicidii, sed efficitur Invita, quatenus parricidium est & contra pietatem, & quia ignoratur conditio filii quæ est de ratione circa quid parricidii. In quo exponendo etiam *Horneius l. 3. c. 4. n. 21.* nonnihil habet.

32. Ultimam deniq; conditionem accidentalem esse pernegamus cum enim per hanc modus operationis uti tamen est circumstantia effectus, innuatur, eo ipso attribuitur essentialibus ἑκάστοις quæ actionem Moralem formaliter terminant & invitam reddunt. Non enim 7. quomodocunque actionem invitam reddit sed simpliciter: *In omnibus enim his*, inquit Præceptor l. c. *ignorantia* (singularium scilicet & facti) *contingit, fit ut qui aliquid ex his ignoraverit, invitus egisse videatur. Oportet tamen ut actio hæc ex tali ignorantia involuntariè facta esse dicatur dolorem ac pœnitentiam afferat.*

33. Idem esto de reliquis judicium. Τὸ *Quid* enim ipsam actionem innuit. Ipsam autem actionem ad essentiam actionis spectare nullum est dubium. Et cum objectum afficiat actionem essentialiter τὸ *circa* quid etiam essentialis erit circumstantia, ut & *quo*.

Instru-

Instrumentum enim cum pendeat à principali agente in actione Morali, ejus ignorata ratione, etiam actio invita reddetur. Non enim major est ratio instrumenti, quàm causæ principalis *à quâ* pendet ratione actionis Moralis, per hoc enim fit actio ab ipso agente v. g. si fiat homicidium cuspide aut hasta. Hinc fit ut si quis ignoret aptitudinem instrumenti ad talem effectum involuntarius reddatur ille effectus, ut si quis putarit hastam non habere ferrum, ineptamq; esse, ut ferire possit. Quia deniq; *cujus* gratia est id ad quod actio operationis dirigitur, ex quo pendet substantia ipsa & utilitas operationis, quæ ut medium ad finem assequendum assumitur, certè eo ignorato aliquid & quod essentialiter ad hanc actionem spectat, ignorabitur. Licet enim intentio finis minimè ignoretur, quia tamen medii assumpti ad talem finem vel usus vel etiam incommodum ignoratur, illud etiam ignoratur, quod in actione Morali essentialiter intenditur.

34. De altero etiam paucis ut agamus ordo postulat. Mentio fit in c. 1 quarundam actionum quæ ob metum majoris mali aut spem summi alicujus boni suscipiuntur, de quibus dubitat Philosophus, an ad invitas, an verò ad spontaneas referri debeant; ut si tempestate subortâ merces nauta ejiciat & latroni certa summa pecuniarum promittatur, ut vita redimatur. In spontanearum certè classe contineri vix quis affirmabit, cum nemo sanus mercium jacturam volens patiatur, neq; pecunias prudens profundat. Neq; tamen etiam invitæ facilè vocabuntur. Agentium enim principium in ipsorum arbitrio relictum est; potestq; agens eligere quodcunq; ipsi placuerit.

35. Hujus tamen dubii solutionem habet ipse Philosophus lib. 3. Eth. c. 1. existimatq; ejusmodi actiones neq; simpliciter esse spontaneas, neq; prorsus invitas, sed mixtas, ita tamen ut magis accedant ad spontaneas. *Simpliciter*, inquit, Philosophus l. c. *nemo abjiciet sponte (merces) sed ob salutem suam & reliquorum omnes, qui mentem habeant, id efficiunt. Ac mixtæ sunt quædam tales actiones. Similes verò sunt iis magis, quæ sponte efficiunt. Nam tunc sunt eligendæ, cum aguntur. Finis autem actionis secundum occasionem est.*

36. Di-

36. Dices 1. in Aristotele Contradictionem occurrere, modò enim asserit simpliciter esse invitas, modò invitas vocat secundum quid. Atqui simpliciter & secundum quid opponuntur, & sic non possunt de eosdem dici 2. Nullum mixtum est aliquid eorum ex quibus miscetur, aliàs enim. Totum haberet naturam partis. Atqui hæ actiones sunt mixtæ. E. 3. Quicquid est medium in Practicis inter duo extrema id est virtus. Atqui Actio mixta est inter duo extrema, E. actio mixta est virtus, quod absurdum.

37. Ad 1. Rx. actiones mixtas posse dupliciter considerari, 1. absolutè & in se non habito respectu ad personas, locum tempus, aliasq; circumstantiàs, 2. cum determinatione prædictarum circumstantiarum. Priori modo invitæ sunt simpliciter, posteriori verò invitæ secundum quid & spontaneæ simpliciter.

38. Exemplo Zopyri Regis Darii præfecti fortissimi, id quod diximus ex Herodoto lib. 3 & Justino l. 1. illustrabimus. Nam hic cum videret Babylonios muris, propugnaculis, & commeatu instructissimos, novo strategemate rem aggressus fuit. Præcisis enim naribus & auribus totoq; corpore verberibus & plagis fœde lacerato profugit ad Babylonios, simulans hanc sibi gratiam pro fidelissima opera prolatam à Dario, monensq; Babylonios, ut ex amicis Regis, exemplo caperent, quid hostibus expectandum esset. Ea re cum fidem fecisset Babyloniis, statim ab iis receptus est in urbem, & simulatq; iterum congressus cum hoste levioribus aliquot præliis facilè Darium vicit. Tandem verò Dux designatus universi exercitus, urbem simul & totum exercitum Dario tradidit.

39 Zopyri narium amputatio & corporis dilaceratio potest dupliciter considerari, 1. absolutè & ita simpliciter est invita. Nemo enim tam amens esset, qui hanc expeteret. 2. respectu habito ad id quod posset hoc medio urbem capere & Dario exercitum tradere, quo modo magis spontanea quam invita est, imò simpliciter spontanea. Elegantissimam etiam hujus dubii solutionem habet Nicolaus Dorbellus in Comm. quam vide ut & *Suaresii* qui asserit *Simpliciter* posse duobus modis sumi, vel ex parte objecti veluti quod voluntas eligit & hoc modo sunt simpliciter Invitæ; vel ex parte eligentis

gentis ac operantes at ita ipsi simpliciter spontaneum. Hanc responsionem ex Aristotele confirmat *Vatzquetz Disp.27. c.3. n.13.*

40. Ad 2. dicimus, Mixtas non dici quasi ex utriusq; concursu prodeant, sed mixtæ dicuntur quod utriusq; ratio diverso tamen modo inibi occurrat. In 3. deniq; negamus Majorem. Nam non quævis mediocritas inter duo extrema est Virtus, sed illa tantum, cujus ambo extrema sunt turpia, & proinde vituperanda. Jam verò quædam spontaneæ actiones laudantur, quędam verò minimè. Invitæ de se neq; laudem neq; vituperium merentur. Et licet quædam mixtæ intra virtutis sphæram contineantur, hoc tamen non fit, quia sunt mixtæ, sed ob aliam rationem.

41. Spontaneum & Invitum excipit προαίρεσις, quam *Plautus, Terentius,* & *Cicero,* & in *Lucullo* & *lib.3 de Orat.* & alibi, consilium, institutum; *Tacitus* & *Suetonius,* propositum, *JCti* modò animi propositionem, animi judicium, & animi destinationem, *l. fugitivus ff. de V. S. l. 76. de diversis R. J. l. pupillus 189. ibid. Scholastici* Electionem & prælectionem vocant, de qua Politicus h. l. imprimis debet esse sollicitus, χρὴ γὰρ οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων κρίνειν τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀλλ' ἐκ τῆς προαιρέσεως, scribit Diodorus Siculus de persona Leonidæ ad Thermopylas i. e. *virum bonum ac virtute præditum non ex actione sed ex prælectione æstimare oportet.* Idem sentit Philosophorum Aquila l. 2. Eth. c. 4. § 3. l. 2. Eth. c. ult. quibus non obstant quæ l. 2. Eth. c. ult. in fin. & l. 2. Magn: Moral. c. 20. asseruntur, *solere homines judicare ex factis non ex proæresi.* Vulgò enim hoc fieri ll. cc. monet.

42. Definitur autem l. 3. Eth. c. 3. in fine h. m. προαίρεσις ἐστὶ βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν. *Prælectio est deliberata appetitio eorum quæ sunt in nostra potestate.* Ex qua definitione apparet Electionem duo complecti: Judicium in mente & libertatem actionis in voluntate, ut Victorinus Strigelius loquitur in Notis ad l. 1. Eth. c. 1. p. 38. & proinde partim cum consultatione partem cum τῷ velle convenire. Quæ etiam caussa est, quod Consultationis & Voluntatis h. l. Aristoteles mentionem faciat.

43. Est autem ἡ βούλησις ζήτησις τῶν ἐφ' ἡμῖν πρακτῶν

 l. 3.

l. 3. Eth. c. 3. §. 7. & 17. h. e. quæstio (inquisitio) ita enim reddendam vocem rectè notat Buridanus) mediorum ad finē nobis acquisitu possibiles ducentium. βούλησις a. ἐστὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἢ ἢ φαινομένου ἀγαθοῦ μετὰ λόγου ὄρεξις est vel boni sivè revera talis sivè apparentis cum ratione appetitio l. 1. c. 4.

44. Licet autem prælectio cum utraq; convenientiam habeat, multiplex tamen adhuc discrimen notari potest. Nam à Consultatione differt prælectio 1. *Subjecto*. Quemadmodum enim Electio essentialiter pertinet ad voluntatem. Est enim ejus actio elicita, ut tamen connotet rationem Consultantem, uti habet *Vatzquetz Disp. 41. c. 2:* Ita Consultatio essentialiter Intellectum respicit, quamvis etiam habeat ordinem ad voluntatem à qua movetur. Et hoc est quod *Thomas in corpore* asserit voluntatem præbere materiam consultationi non quasi voluntas moveatur in iis, aut aliis mediis ad certam materiam, sed quia ex intentione finis moveat ad inquirenda media in genere. Voluntas enim per intentionem finem consequi desiderat, quem non nisi per media consequi potest.

45. Neq; hæ differentiæ omittendæ. Nam 2. etiam *Objectum* non est idem. Consultatio enim rerum adhuc est incertarum; prælectio verò rerum aliquo modo certarum propter antegressam deliberationem. ordine 3. itidem Consultatio præcedit; prælectio sequitur. Deniq; *officium* diversum est, ut non malè hoc observat *Piccolom. grad. 2. c. 22.* Consultatio enim dirigit, prælectio verò exsequitur.

46. *A volitione* Prælectio & *subjecto* (Prælectio enim propter voluntatem etiam intellectum respicit, ut § 44 diximus, ut Aristoteles l. 6. Eth. c. 2. §. 5. affirmet, vel esse intellectum appetitivum vel appetitum intellectualem προαίρεσιν; βούλησις a. solius voluntatis est) & *Objecto* differt. Nam βούλησις 1 est impossibilium etiam non item προαίρεσις Vid. Disp. 2. § 6. & seqq. 2 eorum quæ à nobis non aguntur, quomodo volumus histrionem aut athletam vincere, quorum tamen minimè prælectio est. 3. finis cujus tamen προαίρεσις non est, sed mediorum l. 3. Eth. c. 2. § 6.

47. Amplissimus hic campus esset ex professo de Volitione & prælectione agendi. Verum cum ratio Thesium sit habenda, alia magis specialia ad alium locum differre cogimur, interim Lectorem ad *Franciscum Suaretz 1. 2. Disp. 8. & Gabr. Vatzquetz l. 1. 2. Disp. 41.* ablegamus, qui unius cujusq; expectationi satisfacient. Ne tamen planè simus hîc ἀσύμβολοι, *Proprietates Consultationũ* ab Aristotele positas explicabimus, & si qua his obstare videbuntur breviter diluemus.

48. *Consultationem* autem non *de fine esse sed de mediis* expressè Philosophus habet l. 3. Eth. c. 3. quando ait: *Consultamus non de finibus sed de iis quæ ad finem tendunt.* Nam neq; medicus an sanare, neq; Orator an persuadere, neq; Politicus an benè legibus institutam patriam reddere debeat, neq; ex aliis quispiam de fine consultat, sed omnes cum finem quendam præsupposuerint, quomodo autem per quæ prædictus finis obtineri queant, deliberant.

49. Quibus non obstat quod homines sæpè consilium capiant de vitæ genere ineundo. Sic juvenes nucibus relictis consultant an literarum studia sint capessenda an aliud vitæ genus ineundum. *Hoc enim plerîq; faciunt omnes adolescentuli,* inquit Simo Terentianus, *ut animum ad aliquod studium adjungant. aut equos alere, canes ad venandum, aut ad Philosophos.* Vitæ genera tamen in numerò finium esse quis negabit? Nam solutio facilis est. Potest n. aliquid esse finis, quod tamen respectu alterius est medium. v. g. Dum Medicamentum purgans ægroto Medicus præscribit, ipsa evacuatio pravorum humorum est finis medicamenti, quæ tamen medium ad sanitatem. Consultatiò potest esse de fine non quatenus finis est, sed quatenus, habet rationem medii: v. g. Consultant Medici an in hoc vel illo morbo sit evacuandum, non ut evacuatio sit finis, sed uti medium ad sanitatem conducat: Ita vitæ genera cadunt sub deliberationem non quatenus finis mediorum rationem obtinent. sed ut ad benè beateq; vivendum faciunt. Eodem ferè modò solvit *Thomas 1. 2. q. 13. c. 3.*

50. Est tamen *Consultatio de rebus, quæ sunt in nostra potestate vel quæ ad nos spectant.* Habentur hæc c. 3. §. 7. βουλόμεθα ἢ

πολιτῶν ἐφ' ἡμῖν πρακτῶν ταῦτα δὲ καὶ ἐστὶ λοιπά, *Quomodo Scythæ* enim ait § 6. *optime administrare* Rempubl. *queant, nemo ex Lacedæmoniis deliberat.* Nihil *enim ex his per nos fieri potest.* Non enim de eo h. l. sermo est quo aliquis stolidus aut furiosus sed de eo qui mentem habet.

51. Obstat 1. de Legibus & Juribus consultamus, ideò enim JCtorum fores (nominus ita Advocatos illos, qui in foro causas agunt) clientes salutant, ut consulant illos. Atqui Leges neq; sunt in potestate JCtorum neq; clientum. Leges enim & jura penes Majestatem sunt ut in illorum tantum sint potestate, qui clavum Reipul. tenent. E. quoddam quod non est in nostra potestate est objectum Consultationis.

52. Idem ex officio Consiliariorum videtur colligi posse. Illorum enim munus in hoc situm est, ut consultent de iis quæ ad principem spectant. Atqui res Principum non ita sunt in potestate consiliariorum, ut ab iisdem peragantur, neq; consultant de rebus ejusmodi, quæ ad ipsos spectant. Qua ratione etiam parentes videmus sollicitos ob liberorum salutem & servorum opera expedienda sæpè à dominis antegresso consilio decernuntur, quæ Dominorum opera si dixeris opera servilia, ex servilibus non servilia facies, quæ videntur non sinè contradictione posse constare.

53. In 1. concedimus Minorem. Leges & Jura non esse in potestate JCtorum, quat. talium, (nisi JCti ipsi sint Politici, & Reipubl. clavum teneant) negamus tamen quempiam sanum Procuratorem ideo adire, ut vel Leges abroget & refigat, figatve. JCtus enim clientibus tantum interpretatur mentem Legum Latoris, & ipsi monstrat modum consequendi id quod jure cautum est. Quo ipso tamen neq; Legem mutat aut abrogat, neque aliam substituit. Hoc enim ejus est, cui Majestatis jura commissa sunt. Quo nî fallor respexit Thomas 1. 2. q. 14. art. 3. ad 2. quando ait: *Et quod id quod est lege positum quamvis non sit ex operatione quærentis consiliũ; tamen est directivum ejus ad operandum, quia ista est una ratio aliquid operandi mandatum Legis.*

54. Ad § 52. ut respondeamus, dicimus 1. Aristotelem lib: 3.

Eth:

Eth: c. 3. non dixisse Consultationem esse de iis quæ à nobis agi possunt, sed quæ ad nos spectant. Atq; aliud est aliquid à nobis peragi; aliud illud quod agimus ad nos spectare, sicuti πολυπράγμονες multa agunt, quæ tamen ipsos non concernunt. Indè negatur 2. Minor. Liberorum enim res ad Parentes, & servorum ad Dominos spectant. Filii enim curæ & diligentiæ parentum commissi, parentum consilium exposcunt, non aliter ac amicorum res quodammodo nostræ videantur. Hinc §16. l. c. dicit Aristot: *Fieri verò possunt ea, quæ à nobis fieri possunt. Quæ enim ab amicis proficiscuntur,* (eadem ratio est Consiliariorum & parentum) *à nobis quodammodo proficiscuntur. Nam principium in nobis est. Quæruntur autem quandoq; instrumenta, quandoq; usus ipsorum.* Hinc etiam actio servi dupliciter potest dici in potestate Domini: *1. ratione directionis.* Et sic omninò verū est, quod servi actio sit in potestate Domini. Quia n. servus instrumentum Domini animatum est l. 1. Pol. c. 4. necesse est, ut juxta nutum causæ principalis agat & actiones suas instituat. Et hoc modo quid servo agendum sit, potest Dominus deliberando disquirere. 2. *ratione ultimæ executionis.* Et ita actio servi non est in potestate Domini. Licet enim Dominus secum constituerit, servo hoc agendum esse, servus tamen potest intermittere illum actum. Et hoc modo opera servi dicuntur servilia, scilicet ratione executionis, quæ in directione tamen sunt liberi.

54. Non aliter ferè respondet Thomas l. c. ad 4. *Dicendus est*, inquit, *quod de aliorum factis consilium quæramus in quantum sunt quodammodo unum nobiscum vel per unionem affectus sicut amicus est sollicitus de his; quæ ad amicum spectant, sicut de suis; vel per modum Instrumenti. Nam agens principale & Instrumentale sunt quasi una causa, cum unum agat per alterum & sic Dominus consiliatur de his quæ sunt agenda per servum.*

55. Huc etiam vulgò referuntur Consiliarii, qui non tam suo quam principum loco consultant, utpote qui fidei Consiliariorum commissi sunt. Nos insuper ex § 13. c. 3. l. 3. Eth. respondemus, *Consiliarios autem*, inquit Princeps Peripateticorum, *assumimus ad magna nobis ipsis non credentes, quasi non idoneis* διαγνῶναι *ad dignoscendum.* Atqui & rei cognitio in ipsa Consiliariorum potestate

 state

state est & ad ipsos spectat, ideò enim hoc munere gaudent, ut quid ex usu principis sit, cognoscant.

56. Instas adhuc Consultationem sæpe esse de iis quæ planè ad Consultationes non spectant. Nam non infrequens est cives non solum alterius civis sed & principum res ita considerare, ut dispiciant, quomodo feliciter expediri possint.

57. Respondemus 1. De rebus alienis sæpe consultari exercitii gratia, ut exindè discamus ea quæ ad nos pertinent, rectè tractare. Ejusmodi consultatio est quidem de rebus simpliciter alienis, ad nos tamen aliquo modo pertinentibus. Etsi enim ipsa res de qua consultamus de se ad nos non pertineat, nostrum tamen est exinde discere, quid è re nostra sit. Et sic illa ipsa res est saltem obliquè ad nos pertinens. Hinc rectè Vatzq 1.2. q.14. a. 3. concedit *de rebus aliorum quæ ad nos non spectant posse nos speculationis tantum gratia inquirere, utrum rectè an alio modo civitates gubernentur.*

58. Distinguendum 2. hoc loco inter id de quo simpliciter, & inter id de quo consultamus cum Hypothesi. Cum de alienis consultamus, ex hypothesi consultamus. Dicimus enim si hoc ad me pertineret his vel illis mediis uterer. Quod autem simpliciter consultemus de iis quæ ad nos non spectant negamus. quod si tamen quis de alienis, & iis quæ ab eo agi non possunt, consultat, neq; exercitii caussa neq; ex hypothesi; hujusmodi Consultationes suo fine destituuntur, neq; propriè consultationes sunt. Hinc etiam nos ipsos sæpè in ejusmodi consultationibus reprehendimus. Videatur Piccolom. *gr. 2. c. 23.*

59. 3. *Consultatio neq; est de rebus præteritis, neq; fortuitis, neq; æternis.* Non *præteritis.* Consultatio enim versatur circa ea quæ aliter atq; aliter evenire possunt. At factum infectum fieri nequit. Neq; *fortuitis.* Hæc enim uti à potestate nostra eximuntur, ita quoq; consultationi subtrahuntur. Non *æternis.* Ita enim nostram potestatem & actionis indifferentiam excedunt. Ubi tamen itidem quod §. præced. inculcavimus repetendum est de rebus necessarias & fortuitis non iniri consilium simpliciter; ex hypothesi n. objectũ consultationis esse posse nihil vetat. De imbribus n. nemo

est

est sollicitus, nisi quis dubitet quid agendum sit, si imbrium frequentiâ aget oneretur. Sunt autem *Res æternæ* res necessariæ quæ non substant vel actioni vel effectioni humanæ, utpote quæ sunt ideò etiam objectum scientiarum propriè dictarum, suntq; duplicis generis, quæ Aristotelis exemplis haud obscurè innuuntur. Prioris enim τὸν κόσμον ponit; Posterioris autem ὅτι ἡ διάμετρος καὶ ἡ πλευρὰ ἀσύμμετροι. Κόσμον interdum vocant Græci cœlum & ita sæpè accipitur apud Platonem; Interdum & cœlum & omnia quæ complexu illius continentur. Ita enim scribit Possidonius, ἐν στοιχειώσει μετεωρολογικῇ. Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων.

60. Posterius exemplum ut ab omnibus perspicuè intelligatur explicandæ *cum eruditissimo Mureto* sunt voces aliquot Mathematicorum propriæ. Ac primum illud, cum plura sint genera τῶν τετραπλεύρων, id est, earum figurarum, quæ quatuor lateribus continentur, ea demum τετράγωνα dici, quæ & ἰσόπλευρά ἐστι, καὶ ὀρθογώνια. Eam autem lineam rectam, quæ ab angulo ad angulum ducta τετράγωνον, in duo trigoni æqualia dissecat, vocari διάμετρον, aut ut Vitruvius loquitur, διαγώνιον. Hinc Plinio *linea dimetiens* vocatur.

61. Quæ autem debent σύμμετρα μεγέθη vocari ita docet Euclides *lib* 10. *defin.* 1: Σύμμετρα μεγέθη λέγεται τὰ τῷ αὐτῷ μέτρῳ μετρούμενα. ἀσύμμετρα δὲ ὧν μηδὲν ἐνδέχεται κοινὸν μέτρον γενέσθαι. Et ἐὰν δύο μεγέθη πρὸς ἄλληλα λόγον μὴ ἔχῃ ὃν ἀριθμὸς πρὸς ἀριθμὸν, ἀσύμμετρα ἔσται τὰ μεγέθη. ἀξιώματι. ή.

62. Neq; 6. *de Artibus & Scientiis consultatio instituitur.* Explicat hanc conditionem ipse Præceptor §. 9. 10 11. *Et circa exactas & seipsis contentas scientias non est consilium, ut de litteris. Non enim dubitamus quomodo scribendum. Sed quæcunq; fiunt à nobis, & non eodem modo semper se habent, de iis deliberamus, ut de iis, quæ sunt secundum Medicinam & Pecuniariam, & circa Gubernatricem magis, quam Gymnasticam, quanto minus exactæ sunt; & deinceps de reli-*

reliquis similiter. Magis verò etiam circa artes, quam scientias: magis enim circa ipsas dubitamus.

63. Quæ ut capiamus notandum est, Græcos duo genera scientiarum (latè sumptâ hac voce) constituere, quarum aliæ sunt ἀκριβεῖς ut §. 1. h. l. illas nominat Philosophus αὐτάρκεις & ὡρισμέναι uti ab aliis dicuntur, quas *Cicer. l. 1. de Divinat. exquisitas* vocat, aliæ στοχαστικαὶ, *Tullio opinabiles seu conjecturales* dictæ. Exquisitarum unam ponit h. l. Grammaticam scilicet quum dicit: περὶ τὰς ἀκριβεῖς καὶ αὐτάρκεις τῶν ἐπιστημῶν οὐκ ἔστι βουλή. οἷον, περὶ γραμμάτων. Nam quod Scheckius γράμματα h. l. existimat posita, ut idem valeant quasi διαγράμματα, omni probabilitate caret. Nusquam enim γράμμα pro altero reperitur. Inde *Andronicus Rhodius* subjungit: οὐ γὰρ διστάζομεν πῶς γραπτέον ὅτι ἐγνωσμένον ἐστὶν ἀκριβῶς καὶ ὡρισμένα εἰσὶ τὰ σημεῖα. Hinc Aristotelem se ipsum explicasse *lib. 1. M. Mor. c. 8.* videmus, quum de hac re ita scribit: *Nemo deliberat, quemadmodum sit scribendum nomen Achillis.* Ubi tamen non nego ipsam Mathesin ad accuratas scientias spectare, ut & Physicam, & Theologiam quæ est ἀκριβεστάτη secundum *c. 2. l. 1. Met.* quemadmodum Politica, Medicina, Dialectica, Rhetorica, ars gubernandi & opificum artes sunt στοχαστικαὶ *teste Alexandro Aphrodisæo in Comm. super l. 1. Top.* quæ Consultationem minimè excludunt, quamvis & inter has altera certior sit, sicuti Gymnastica minus obnoxia est deliberationi ac Politica & Medicina, teste *Aristotele h. l.*

64. Dictis videtur obstare ipse Philosophus §. 7. βουλευόμεθα δὲ, inquiens, περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν πρακτῶν. & §. 8. τῶν δ' ἀνθρώπων ἕκαστοι βουλεύονται περὶ τῶν δι' αὐτῶν πρακτῶν. Quodcunq; igitur non versatur circa τὰ πρακτὰ, id non consultat. Atqui artes non versantur circa τὰ πρακτὰ sed τὰ ποιητὰ *l. 6. Eth: c. 4.* E. artes etiam non consultant.

65. Solvit hunc nodum *Fr. Piccolom. gr. 2. c. 24.* ostenditq; consultationi duplicem convenire materiam; unam magis, alteram

minus

minus propriam. *Materia, in qua primò & maximè propriè versatur consultatio*, sunt quæ spectant ad humanas actiones, in quibus merito consultationi locus relinquitur 1. ob eorum varietatem & constantiam. 2. ob propriè dictam electionem, quæ est terminus consultationis. Prælectio autem humanarum actionum non artium propriè est principium. 3. quia consultatio maximè refulget in ordinatis ad Summum Bonum, ad quod cuncta dirigit Civilis scientia, quæ in actionibus humanis versantur. *Materia autem in quâ secundo modo & minus propriè* versatur consultatio, sunt pertinentia ad artes, dummodo στοχαστικὰ, id est, consultatrices fuerint.

66. Hinc patet responsio ad argumentum. Locus enim Aristotelis in Majore adductus vel intelligendus est de Consultatione ratione materiæ in qua primò & proximè versatur consultatio quatenus est circa τὰ πρακτὰ vel *ut Piccolom. loquitur, attinentia ad humanas actiones*. Hoc modo in artibus nulla est consultatio; vel dicendum est Aristotelem nomine τῶν πρακτῶν τὰ ποιητὰ non excludere. Quæ ultima solutio facillima est, & Aristoteli accommodatissima. Ipsum enim πράξεως vocabulum latè sæpissimè sumere prout condistinguitur tantum τῇ θεωρίᾳ notissimum est.

67. Unum dubium exponendum restat, priusquam ab his conditionibus recedamus; Illud autem ex §. 17. potest desumi, ubi Aristoteles τὰ καθ' ἕκαστα videtur removere, quando dicit: *Non igitur finis sub deliberationem cadit, sed ea quæ referuntur ad finem, neq; singularia, quemadmodum an hæc res sit panis, vel sit subactus vel factus ut oportet. hæc enim sunt ipsius sensus.*

68. *Magirus in Comm. sup. cap. 5.* his tollere satagit verbis: *Notandum est, inquit, quod dicit Philosophus, de singularibus non esse deliberandum. Hoc intelligi debet, quatenus de singularibus quæritur τὸ ὅτι ἐστι an sit illud ipsum quod esse videtur, ut an lac sit album, an panis quem in manibus habeo sit panis & an ille panis sit bene coctus & præparatus, an lapis sit durus, an mel dulce & his similia: De talibus enim*

non est deliberandum sed standum judicio sensuum: cum primum enim sensibus offeruntur, ab illis etiam dijudicantur, qualia sint: veluti qui gustat mel, statim sentit, quod sit dulce. Hactenus Magirus.

69. Sed hæc solutio neque attingit mentem Aristotelis, neq; vera est. Sæpè enim deliberamus de singularibus quatenus de ipsis quæritur & consilium capitur de aliquo, quod conducibile videtur ad finem, an revera tale sit quale esse videtur. Nec ratio Magiri universalis est. Multa enim singularia de quibus quæritur an sint talia, qualia esse videntur non statim sensu possunt dijudicari, sicut sensu non statim dignosci potest, an aurum à Chymico confectum sit verum aurum, an adulterum.

70. Hoc certum est Philosophum non in universum omnia singularia excludere à materia Consultationis. Nam media ad finem sunt singularia E. quædam singularia cadunt sub consultationem. Dicendum itaq; est Aristotelem hoc velle de omnibus singularibus non esse consultationem, quod tantum ejus ratio concludit. Si quis enim vellet construere syllogismum & probare *nulla singularia cadere sub consultationem,* propositionem Minorem necessariò faceret hanc: *Omnia singularia cadunt sub sensum,* de cujus veritate meritò dubito si de actu intelligatur.

Corollaria.

1.

Præelectio non potest attribui brutis, uti nec sermo.

2.

Becanus part. 2. Theol. Scholast. negat consiliariorum consilia quod liberè dentur, sed tantū quod princeps iis utatur liberè. Nos utroq; modo libera pronunciamus.

3.

Præelectio non est idem ac spontaneum, nec est Ira, nec cupiditas nec voluntas, nec opinio.

Ad Literatißimum

Dn: Respondentem.

QUod genii studiiq; tui cupis edere signum
KIRCHMANNE, ut doctis notior esse queas.
Approbo teq; velim metam contingere fixam
Finis ut auspicio convenienter eat.

M. Johann. Reinboth.

QUicunq; rebus arduis emancupas
Laboriosus strenuus solertiam,
Et actiones imbibis gnavißimè
Moliri honestas, consonas Menti Bonæ,
Metam sagittis pone præviam tuis,
Quò destinatis ictibus collinees;
Post te decebit cautione providâ
Deliberare de Modo, deq; Ordine,
Qui transferendo spiculum, te sublevent,
Ne divageris aut aberres à scopo.
Hinc cogitata sequatur appetitio,
Electionem seu lubet tibi dicere,
Deliberatum ceu prius spontaneum,
Ut vult Stagiræ civis ille nobilis,
Consulta quæ capessat, atq; segreget,
Hæc actionum prima sunt fundamina,
Neglecta quæ strages dedére maxumas.
Rectam ergò regiamq; sectaris viam,
Ocelle Phœbi, dulce Musarum decus,
Magni Parentis æmulator seriè,

Dum talibus super eruditè disseris;
Implensq; pectus aureâ prudentiâ,
Olim auspicatis usibus te praparas.
Insiste porrò sedulò his laboribus,
Hæc una Virtus, fraudis inscia, assolet
Prodesse Rerumpublicarum commodis.

amicitiæ & benivolentiæ
ergò f.
Martinus Nesselius, Moravus,
P. L. C.